
O.J.
INTER·FOLIA·FRVCTVS

SYMBOLAE AD INTERPRETATIONEM EVANGELII JOHANNIS EX MARMORIBUS ET NUMIS, MAXIME GRÆCIS.

PROGRAMMA,

QUO INAUGURATIONEM REVERENDISSIMI EPISCOPI RIPENSIS

Conradi Danielis Koefoed

S. THEOLOGIÆ DOCTORIS,

IN ÆDE S. S. TRINITATIS
SECUNDO FESTO PASCHATIS

SOLEMNI RITU PERAGENDAM

INDICIT

D. *FRIDERICUS MÜNTER*,

SELANDIÆ ORDINUMQUE REGIORUM EQUESTRIUM EPISCOPUS, THEOLOGIÆ IN UNIVERSITATE HAVNIENSI PROF. P. O. MAGNÆ CRUCIS DANEBROGICÆ EQUES, EJUSDEM ORDINIS CRUCE ARGENTEA ORNATUS.

HAUNIÆ. Copenhagen

TYPIS DIRECTORIS JANI HOSTRUP SCHULTZII,
AULÆ ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

MDCCCXXVI. 1826

Ex quo ante hos XIII annos monumenta Nubica et Aegyptiaca lapidem nimirum Adulitanum a Cosma Indicopleusta posteris servatum, marmor Axumitanum a celeberr. Saltio Britannorum in Aegypto Proxeno primario, et Inscriptionem trilinguem Rosetanam a Gallis, cum Aegyptum ultimis seculi præterlapsi annis occupassent, repertam, sedulo examinassem, et comparatione cum Novi Testamenti usu loquendi instituta, compertum habuissem, haud ita pauca in iis inveniri, quibus sacris Scriptoribus lux aliqua adfundi posset; mirari sane subiit, interpretes rarius de Inscriptionibus, præcipue græcis, in illustrandis sacris paginis sollicitos fuisse, quum tamen indefesso studio auctores, qui classici dicuntur, eo consilio evolvissent, ut ex iis haurirent, quidquid ad hanc rem facere posset. Nec absque uberrimo fructu. Nam si vel omnia ea prætermittamus, quibus historia & antiquitates biblicæ illustratæ sunt, in ipsis verbis et loquutionibus, inprimis scriptorum, qui post Alexandri M. tempora floruerunt, et dialecto Macedonica et Alexandrina, ad Hellenisticam propius accedente usi sunt, multa utique invenerunt, quæ egregiam

iis in explicandis N. T. verbis phrasibusque opem ferrent. At negari minime potest, illorum et subsequentium temporum Inscriptiones Græcas, quæ antiquissimas numero longe superant, quum præterea tanta scriptorum, quorum plerique injuria temporum interierunt, laboremus inopia, quodammodo pro auctoribus classicis haberi et posse et debere; et isto, quod dixi, consilio studiosius tanto examinandas esse, quum plerumque utantur sermone vulgari, nec politiori illo atque eleganti, quem in scriptoribus animadvertimus. Eundem in sacris scriptoribus loquendi usum obtinere, omnes peritiores norunt. Sed in aliis quoque rebus, Inscriptiones cum verbis biblicis componendo, similitudinem aliquam invenient. Sic verbi causa eodem modo, quo Paulus Apostolus verba forensia Græcorum suos in usus adhibuit, ipse quoque aliique scriptores sacri verba Græcorum atque Romanorum de religionis cultu usurpata ad sacra Christiana transferre haud dedignati sunt; ita ut de hisce veteribus monumentis valeant verba S. Basilii Neocæsareensis Episcopi, literas profanas esse folia, qvibus fructus ornentur æque ac defendantur. Et si vel ita fuerit, ut ex literatis istis vetustatis reliquiis haud admodum multæ observationes plane novæ proditure essent, iis tamen confirmari poterunt ea, quæ ex auctoribus colliguntur, atque phrases in iis obviæ, una cum verborum significationibus ad Lexica ditanda ornandaque haud parum conferent.

Quibus equidem rationibus motus ad laborem difficilem ne
raro tædii plenum adgrediendum memet accinxi, ut omnes quotq
reperire potuerim inscriptiones Græcas in lapidibus atque numis s
perstites examinarem, si forte aliquid invenirem, quo exegesis atq
Lexica N. T. locupletari possent. Neque plane neglexi scripto
ubi inprimis lucem adfundere videbantur. Loca maxime hausi
Wetstenio & Palaireto, interdum quoque ex propria lectione. Gra
maticam vero N. T. a Ven. Winero egregio libello nuper in cla
sima luce collocatam minus curavi, neque multum credo in lapi
bus et numis repertum iri illi inserviturum. Quæ collegi, per s
gulos N. T. libros distribui, atque præter secundam Johannis E
stolam in reliquos omnes adnotanda inveni.

Addidi quoque ex Romanis Inscriptionibus paucisque puni
quæ ætatem tulerunt, quidquid mihi Græcas perlustranti aliu
agenti memoria dignum sese obtulit: neque alia monumenta, a
glypha, lapidesque cælatos, reticui. Itaque, absoluto jam fere o
re, nam pauci admodum libri recens editi, inprimis itineraria eru
torum Britannorum, quorum nondum compos sum factus, evolven
et mea collectanea cum Corpore Inscriptionum Græcarum, q
sub auspiciis Regiæ Scientiarum Academiæ Berolinensis cura
doctissimo Boeckhio prodit, conferenda tantummodo restant,
editione ejus cogito. Specimina operis jam vulgavi initio, qu

ad hæc studia incumbere coepissem, Programmate Synodali, Observationum ex marmoribus Græcis Sacrarum Specimen (1814) inscripto; deinde in Miscellaneis Hafniensibus, T. I. Fasciculo 1mo. Jam vero Adnotationes meas Epigraphicas in integrum aliquem N. T. librum, Evangelium Johannis, in lucem emitto, Theologos eruditos rogans atque obsecrans, ut mea studia monitis consiliisque adjuvent. Nam et heic imprimis ad auream illam legem: *Ne quid nimis*, formanda est omnis verborum atque phrasium comparatio; neque allegganda, quæ sunt tritissima, quod quidem quam difficile sit observatu, equidem sæpe expertus sum. Nostra autem quum res agatur, ubi sacri Codicis interpretationi subsidia adferri posse videantur, nullus equidem dubito, quin per epistolas, publicasque ephemerides de iis, quibus opus fuerit, monear. Cæterum animadvertant velim lectores, me in exscribendis titulis græcis Iota subscriptum, in cujus usu ipsæ hæ Inscriptiones maxime variant, consulto omisisse.

EVANGELIVM IOHANNIS.

CAP. I.

V. 16. χάριν ἀντὶ χάριτος.

Summa & insignia beneficia. *Ἀντὶ* ut hebr. עַל. *cumulata gratia.* Sic quoque accipitur *χάρις* Joh. I. 14. Actor. XI. 23. Rom. I. 4. V. 2 et sæpius, nisi cum Moellero, neue Ansichten schwieriger Stellen aus den IV. Evang. p. 277, intelligere mavelis de novo beneficio loco alius, constitutionis quippe mosaicæ, accepto. Et in decreto ac foedere Smyrnensium, Marmor. Oxoniens. p. 70. l. 7. dicitur Rex Seleucus *ΕΠΙΣΤΑΜΕΝΟΣ ΧΑΡΙΤΑΣ ΑΠΟΔΙΔΟΝΑΙ ΤΟΙΣ ΕΑΥΤΟΝ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥΣΙ*, *alacris ad beneficia bene de se merentibus rependenda.* Sic etiam p. 71. l. 17. *ΑΠΟΔΟΘΗΣΕΣΘΑΙ ΧΑΡΙΤΕΣ.*

CAP. II.

V. 6. ὑδρίαι . . . . χωροῦσαι ἀνὰ μετρητὰς δύο ἢ τρεῖς.

Μετρητὴς est hebr. בַּת, et respondet fere amphoræ atticæ. 120 vini libras cepisse putat Capellus, ut Neapolitanorum *Barrile.* Similis mensura legitur ap. Chishul. Inscript. Asiat. p. 142. in recensu utensilium & instrumenti Attalistici, ubi: *ΝΑΝΟΝ* (l. *ΚΑΔΟΝ*) *ΔΙΜΗΤΡΗΤΟΝ.*

V. 10. πᾶς ἄνθρωπος.

pro *πάντες*. Hellenistice: sic Gruterus Inscr. p. 71. bis repetit *ΑΦΗΛΠΙΣΜΕΝΩ ΥΠΟ ΠΑΝΤΟΣ ΑΝΘΡΩΠΟΥ.* *de quo ægroto omnes homines spem abjecerant.*

CAP. III.

V. 3 ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν.

Vide interpp. ad h. l. et Matth. XIX. 28. Nos unice in afferendis locis similibus ex monumentis, iisque re Christiana recentioribus, versabimur. Taurobolium enim, Aemobolium, Criobolium, omnesque id genus lustrationes ex Oriente profectas, orbem romanum primis post Christum natum seculis invasisse, et perversas hominum de numine divino notiones, ejusque colendi præcepta novis superstitionibus mirum in modum auxisse, non est quod hoc loco uberius exponatur. Heic saltem notandum, Sacra Mithriaca, in quibus tot lustrationes peragebantur (de quibus vide Zoëgæ Dissertat. in Commentatt. Reg. Scient. Societatis Hafniensis anno 1806 editis, monumenta artis huc pertinentia tractantem, et Seelii Mithrageheimnisse) Romanis quidem a Pompeii ætate nota, vix vero ante Antoninorum tempora culta fuisse; et Taurobolii certe atque Criobolii lustrationes in Italia provinciisque occidentem versus solem sitis haud ante Antonini Pii imperium, quantum quidem monumenta docent, investigari posse. Primum enim Taurobolii sacrum sub M. Aurelio anno circiter p. C. n. 175 ab Aufustia Prima peractum legitur ap. Fleetwood Syllog. Inscr. I. p. 174. Solemnes ritus recensuit Prudentius in hymno de martyre Romano. Hæc vero inprimis ad Religionem Magnæ Deæ pertinere, licet in sacris Mithriacis quoque inveniantur, post Lohmeierum et v. Dalium monuerunt editores Musei Taurinensis I. p. 13. seqq. Nobis autem, quum hoc loco non de ipsa agendum sit religione ejusque colendæ ritu; sed de formulis tantum sacris loco Johanneo quoad verba similibus, in eodem adhibitis atque Orientis genium spirantibus, quantum eæ ex Inscriptionibus erui pote-

runt; hasce lectoribus proponemus. Binas tantum, quod sciam, græcas exhibent scriptores. Priorem Gruterus p. 28. n. 1.

ΜΗΤΕΡΙ ΤΗ ΠΑΝΤΩΝ ΡΕΙΗ ΤΕΚΕΩΝ ΤΕ ΓΕΝΕΘΛΩ
ΑΤΤΕΙ Θ' ΥΨΙΣΤΩ ΚΑΙ ΣΥΝΙΕΝΤΙ ΤΟΠΑΝ
ΤΩ ΠΑΣΙ ΚΑΙΡΟΙΣ ΘΕΜΕΡΩΤΕΡΑ ΠΑΝΤΑ ΦΥΟΝΤΙ
ΚΡΙΟΒΟΛΟΥ ΤΕΛΕΤΗΣ ΗΔΕ ΤΙ ΤΑΥΡΟΒΟΛΟΥ
ΜΥΣΤΙΚΟΠΟΛΟΣ ΤΕΛΕΘΩΝ ΤΟΥΤΟΝ ΣΥΝΘΗΚΑΤΟ ΒΩΜΟΝ
ΔΩΡΟΝ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ ΘΕΙΟΝ ΕΧΩΝ ΕΠΙΚΛΗΝ.

Alteram ad Matth. VIII. 11 excitatam v. Dalen & Reinesius, in qua:

ΟΡΓΙΑ ΣΥΝΡΗΞΑΝΤΕ ΘΕΑ ΠΑΜΜΗΤΟΡΙ ΡΕΙΗ
ΚΡΙΟΒΟΛΟΥ ΤΕΛΕΤΗΣ ΚΑΙ ΤΑΥΡΟΒΟΛΟΙΟ ΦΕΡΙΣΤΗΣ &c.

Latinas vero, quæ plures sunt, collegit Fleetwood in sylloge Inscriptionum pag. 13–18.

DIS MAGNIS MATRI DEVM ET ATTIDI. SEXTILIVS AGESILAVS AEDESIVS . . . . . DEI SOLIS HIEROPHANTA . . . . . TAVROBOLIO CRIOBOLIOQVE IN AETERNVM RENATVS ARAM SACRAVIT VALENTE V̄ ET VALENTINIANO IVN. AVGG. COSS.

Ex qua autem epocha, hi enim Imperatores Consules processerunt anno p. C. n. 376, intelligitur, phrasin hanc *in æternum renatus*, usumque verbi *renasci*, quo ἄνωθεν γεννηθῆναι accurate redditur, vel ex ipsis sacris Christianis in phrygias istas superstitiones migrare facile potuisse: quod quidem verbum, quam sit usitatum scriptoribus ecclesiasticis in effectibus baptismi describendis, satis est notum. Præterea notandum venit, formulam hanc *in æternum renatum*, de longo tempore esse intelligendam. Sic legitur in Spar-

tiani vita Severi c. 22. *Non solum victor, sed etiam in æternum pace fundata;* et eundem isti formulæ inhæsisse sensum ex eo patet quod post viginti annos hæ lustrationes fuerint iteratæ: ITERATO VIGINTI ANNIS EX PERCEPTIS TAVROBOLIIS VI. ARAM CONSTITVIT in marm. ap. Fleetwood p. 12, 4.

Perceptum porro dicitur Taurobolium: et in hoc imitati videntur phrasin Christianis solemnem: *percipere baptismum.* De reliquis gentilium sacris dicebatur *suscipere,* quod Christiani quoque de baptismo adhibuerunt. *Percipere* vero usurpabatur absolute, omisso ipso baptismi nomine, silentii mystici caussa. Sic Inscriptio Gudiana p. 319, 18. haud dubie Christiana: EVFRONIA L. FILIA ET N. NAVFRAGIO ENECTA NATA PRI. KAL. NO. PERCEPIT III. ID. APRIL. DECESSIT PRI. KAL. MA. Mazocchi Spicilegium Biblicum III. p. 180. Sic quoque: PASCASIVS PERCEPIT XI KAL. MAIAS ET ALBAS SVAS OCTABAS PASCAE AD SEPVLCRVM DEPOSVIT. Fabretti Inscr. Domest. p. 577. No. 70. Aliam phrasin VIRES EXCEPIT habet Inscriptio apud Montefalcon. II. cc. et TAVROBOLIVM ACCEPIT ap. Gruterum. Inscriptiones Taurobolium Criboliumque commemorantes vide ap. Fleetwoodum supra jam laudatum, Gruterum p. 27, 4. 28, 6. Reines. Class. I. p. 83. Bonadam Anthol. Inscr. poeticar. I. p. 86. seqv. Turris Mutiæ Principem in Inscr. Siculis p. 3. Aemobolium in unica, quod sciam, extat inscriptione: CRIOBOLIVM ET AEMOBOLIVM MOVIT DE SVO PETRONIVS MARCELLVS SACERDOS VIRAL. DEC. VIR. PRIMO ET IVSTO. Quod quidem Aemobolium Lucas Holstenius idem esse censet, quod Taurobolium. Inscr. exstat apud Lucam Camaram de Teate antiquo, Romæ 1651. v. Zornii Biblioth. Antiq. Exeget. p. 1080. De Taurobolio universe cf. eruditam Dissertationem Natan. Frid.

Kautz de Taurobolio. Lipsiæ 1738. ubi quoque Inscriptiones huc facientes collectas invenies.

V. 22. ἐις τὴν ᾽ιουδαίαν γῆν.

Γῆ hoc loco eodem accipitur sensu, quo sæpissime in versione Alexandrina, ut sit *una quædam regio.* Hebr. ארץ Genes. XII, 2. 10. XLII. 30. 33. addito etiam regionis nomine; *᾽Εν πάσῃ γῇ ᾽Αιγύπτου.* Exod. XII. 12. 13. cf. Schleussnerum in Lexico N. T. Qui quidem loquendi usus Hellenismum refert, licet nullus negaverim passim quoque occurrere in scriptoribus Græcis. Sic enim Herodotus *γῆν Μυσίην, ᾽Ιλίαδα γῆν, γῆν τὴν ᾽Αιόλιδα,* et alibi passim. Vide Georgii Hierocrit. N. T. II. p. 57. Sic et Varro dixit *Terram Italiam* (de Re Rustica l. c. 9.) Gellius III, 8, 9. *Terram Italiam et Græciam.* M. Aurel. Antoninus in Epistola ad Frontonem ed. Niebuhr p. 48. *Terra Græcia,* et s. p. Et in Inscriptionibus apud Beaufort in Caramania p. 5. *Η ΞΕΙΝΗ ΠΑΤΑΡΩΝ ΓΗ.* Inscriptiones autem, in quibus *ΓΗ* cum v. *ΚΟΣΜΩ* vel *ΟΙΚΟΥΜΕΝΗ* permutatur, Imperiumque Romanum, aut aliud quodvis significat, relatas vide ad Matth. IV, 8. et Luc. II. 1.

CAP. IV.

V. 7. Δός μοι πιεῖν.

Adferre ad hunc locum libet inscriptionem fontis vel putei ab Hammero relatam in topogr. Ansichten der Levante p. 185.

Ο ΛΑΡΝΑΞ ΟΥΤΟΣ ΡΕΙ ΤΟΙΣ ΔΙΨΩΣΙΝ ΥΔΩΡ ΠΟΤΟΝ.

V. 9. Λέγει αὐτῷ ἡ γυνὴ ἡ Σαμαρεῖτις.

Licet hæc verba per se sint adeo perspicua, ut nulla illustratione indigeant, brevibus tamen de monumentis vetustis, in quibus Samariæ vel Samaritarum nomen legitur, exponere volupe erit. Sed

paucissima sunt. Et quod primo quidem ad numos attinet, in Flaviæ Neapoleos, quæ Hebræorum est Sichem, moneta sub Tito & Domitiano cusa, legitur *ΦΛΑΟΥ. ΝΕΑΠΟΛ. ΣΑΜΑΡΕΙΑΣ*, vel *ΣΑΜΑΡ.* mentione ipsius Provinciæ Samaritanæ facta (Eckhelii Doctrina numorum veterum, III. 435) v. etiam *ΦΛ. ΝΕΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΜΟΡΘΙΑ.* (ap. Harduin. numi pop. & urb. p. 340) nam antea dicta fuerat *Μαβάρθα*, Plinio Mamortha. In aliis numis nomine tantum urbis inscriptis cernitur mons, in cujus vertice est templum, ad quod copiosi gradus ducunt, probabilius tamen Jovis quam Jehovæ templum, nam aquila sæpe illi adstans cernitur (Eckh. p. 434) Ipsa vero Samaria, ab Augusti inde ætate Sebaste appellata, vetus nomen in suis numis reticuit, iisque inscripsit *ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ*, v. COL. SEBASTE, addito deinceps in novi conditoris Severi honorem ejus prænomine: COL. L. SEP. SEBASTE.

γυναῖκα vero *Σαμαρεῖτιδα* commemorat inscriptio ante paucos hos annos Athenis reperta, et ab Åkerbladio Sveco doctissimo actis Göttingensibus ann. 1800 inserta. Ita enim habet:

ΑΜΜΙΑ ΦΙΛΩΝΟΣ ΣΑΜΑΡΕΙΤΙΣ ΕΥΡΥΜΟΝΟΣ ΑΝΤΙΟΧΕΩΣ ΓΥΝΗ.

Universe autem Patriæ mentio sæpe admodum occurrit in saxis litteratis, ut et *Δήμων*, *Φυλῶν* et Tribuum, qua de re adeas Chandlerum, Sponium qui *Δήμους* Atticos ex Inscriptionibus collegit, et quod ad marmora latina attinet, exempla collecta in Saggi di Dissertationi accademiche lette nell' Accademia Etrusca di Cortona, Romæ 1735 pag. 133.

V. 12. *καὶ τὰ θρέμματα αὐτοῦ.*

Θρέμματα; *ἅπαξ λεγόμενον*, h. l. *domesticos*, *famulitium* intelligunt Interpp. nonnulli; cf. Kypkium, qui loca e profanis scriptoribus

adfert, in quibus hoc vocabulum eodem sensu accipitur. Sic etiam in lapidibus. In epitaphio Tryphænæ sepulcrum dicitur destinatum *ΤΕΚΝΟΙΣ ΚΑΙ ΕΚΓΟΝΟΙΣ ΚΑΙ ΘΡΕΜΜΑΣΙ.* (Gutberlet de Inscr. Smyrnæa p. 138, Spon. Miscellanea eruditæ antiquitatis p. 350). Apud Chandlerum Inscriptt. p. 30 vir quidam et uxor *ΣΩΤΗΡΙΔΟΣ ΤΟΥ ΤΡΕΜΜΑΤΙΟΥ* (Romanorum *Alumnulæ*) mortem lugent. Hippareticus Paramoni f. sepulcrum fecit *ΑΥΤΩ ΚΑΙ ΤΗ ΓΥΝΑΙΚΙ ΜΗΤΡΙΩ* (forte *ΜΗΤΡΙΑ*) *ΚΑΙ ΤΕΚΝΟΙΣ ΚΑΙ ΘΡΕΜΜΑΣΙ ΠΑΣΙ.* Ulpius Jul. f. Trophimus sepulcrum paravit sibi, uxori *ΚΑΙ ΤΕΚΝΟΙΣ ΚΑΙ ΕΓΓΟΝΟΙΣ ΚΑΙ ΘΡΕΜΜΑΣΙ ΜΟΥ ΚΑΙ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΙΣ* (Pococke Inscr. p. 23, 17. 24, 20.) Amilla Matrei fil. monumentum fecit sibi et marito, *ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΘΡΕΜΜΑΣΙ ΚΑΙ ΕΚΓΟΝΟΙΣ ΑΥΤΩΝ ΚΑΙ ΘΡΕΜΜΑΣΙ* Seldeni Marm. Oxon. p. 84. n. 13. sic quoque p. 85, 18 et 86, 20). Et Sponius Misc. p. 351. *ΝΑΙΣ ΕΡΜΟΥ ΤΟΥ ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ. . . . . . ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣΕ ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΤΩ ΚΑΤΟΙΚΟΙΜΕΝΩ ΥΙΩ ΖΩΣΙΜΩ ΚΑΙ ΕΑΥΤΗ ΚΑΙ ΚΟΡΝΗΛΙΩ ΕΥΤΥΧΙΑΝΩ ΑΝΔΡΙ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΘΡΕΜΜΑΣΙ ΚΑΙ ΠΡΟΚΛΗ ΤΗ ΤΡΑΦΕΙΣΗ ΥΠ ΑΥΤΗΣ.* alias Inscr. habet Kypkius p. 362.

A plerisque tamen Interpp. vocabulum accipitur de *pecoribus*: cf. Wetstenium in adnotationibus in N. T. qui multa auctorum, in quibus Josephus quoque, loca congessit, unde patet, hanc significationem esse frequentiorem in libris scriptis: vide quoque Kuinoel. ad h. l. Legitur etiam sic in marmore Axumitano, in quo *Θρέμματα* indubitate sunt pecora, lin. 14 et 15 *ΗΓΑΓΟΝ ΠΡΟΣ ΗΜΑΣ ΜΕΤΑ ΚΑΙ ΤΩΝ ΘΡΕΜΜΑΤΩΝ ΑΥΤΩΝ ΒΟΩΝ ΤΕ ΚΑΙ ΠΡΟΒΑΤΩΝ ΚΑΙ ΚΤΗΝΩΝ ΝΟΤΟΦΟΡΩΝ.*

V. 23. *οἱ ἀληθινοὶ προσκυνηταί.*

προσκυνητής: vocabulum in N. T. *ἅπαξ λεγόμενον;* in Veteris vero versione Alexandrina nullibi obvium, nec, quod sciam, a scriptoribus classicis receptum, quamquam *προσκυνεῖν* et *προςκύνησις* sensu religioso sæpe leguntur. Occurrit vero in decreto civitatis Apamenæ ap. Chandl. Inscr. p. 91.

ΠΡΟΣ ΤΟ ΜΗ ΧΑΛΕΠΩΣ ΥΠΑΡΧΕΙΝ ΠΑΣΙ ΤΟΙΣ ΑΝΙΟΥΣΙ ΠΡΟΣΚΥΝΗΤΑΙΣ, nimirum Augusti, quem Pergameni ut Deum coluerunt et in moneta *ΘΕΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ* vocarunt. Addit Inscriptio paulo inferius: *ΟΙ ΚΑΤΟΙΧΟΙ ΑΓΙΟΥ ΟΥΡΑΝΙΟΥ ΔΙΟΣ ΤΗΝ ΘΕΙΑΝ ΑΝΤΙΓΑΦΗΝ ΥΠΟ ΠΑΝΤΩΝ ΠΡΟΣΚΥΝ ΗΘΗΣΟΜΕΝΗΝ ΑΝΑΓΡΑΦΗΝΑΙ ΠΡΟΣΕΤΑΞΑΝ.* Et in tab. votiva ap. Gruter. l. p. 71 legitur *ΕΛΘΕΙΝ ΕΠΙ ΤΟ ΙΕΡΟΝ ΒΗΜΑ ΚΑΙ ΠΡΟΣΚΥΝΕΙΝ.* Voces *ΠΡΟΣΚΥΝΗΣΙΣ,* (in dextro crure Memnonis Thebani, Pocoke Itin. I. Tab. 38, 7.) et *ΠΡΟΣΚΥΝΗΜΑ* (in sinistro ejus pede, ibid. Tab. 39. 19) quum in N. T. haud legantur, verbo attigisse sufficiat.

V. 46. 49. *Βασιλικός.*

Ex Kypkii quidem sententia *vir nobilis*, ex *gente regia ortus*, quod Chrysostomo placuit, *clarus, in dignitate quadam constitutus*, quâ etiam notione apud Græcos passim legitur. At ex Josepho constat, vocem passim adhiberi de militibus, v. c. Palatinis, qui in aulâ militabant, deque ministris inferioris ordinis, *ὑπηρεταίς* et *δούλοις.* v. Kuinoelium et Brettschneideri Lex. manuale in libros N. T. Syrus interpres habet: *servus* quidam Regis. Esræ VIII. 67. legitur *τοῖς βασιλικοῖς οἰκονόμοις;* unde verisimile fit, esse vocem per ellipsin supplendam. Sic quoque legitur in septima Inscriptione sinistri cruris Memnonis Thebani, unicâ in qua saxo incisam observavi:

ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΙΧΟΣ. (Pocoke I. Tab. 39); et quum literæ *Σ* formam habeant rotundam C, valde est probabile, inscriptionem esse ex seriori ætate, itaque nomen Ptolemæi non de rege quodam Lagida, sed de patre Artemidori intelligendum esse. Cf. Krebsii Obss. Flavianas, ad h. l. p. 144.

CAP. V.

V. 7. ἵνα . . . βάλῃ με εἰς τὴν κολυμβήθραν.

βάλλειν h. l. nullam vis et impetus habet notionem, sed simpliciter significat *immittere, ponere,* ut Marci VII. 33. Sic in marmm. quoque; v. c. in epitaphio Amillæ (Reines. p. 725. et Marm. oxon. p. 84. n. 13) *ΕΙΣ ΤΗΝ ΣΟΡΟΝ ΜΟΥ ΜΗΔΕΝΑ ΕΤΕΡΟΝ ΒΛΗΘΗΝΑΙ ΕΙΣ ΗΝ ΕΝΕΣΤΙ Ο ΣΥΝΒΙΟΣ ΜΟΥ ΠΛΗΝ ΕΜΟΥ. ΕΑΝ ΔΕ ΤΙΣ ΒΑΛΗ ΔΩΤΩ ΤΗ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΓΕΡΟΥΣΙΑ* &c Sic etiam usurpatur in Inscr. Pocokianis *ΕΠΕΜΒΑΛΛΕΙΝ.* p. 29, 7. 8. p. 31, 42. Similiter *ἐκβάλλειν*. *ΕΙ ΔΕ ΤΙΣ ΕΚΒΑΛΗ ΤΗΝ ΜΥΡΤΑΛΗΝ* (e sepulcro) *ΔΩΣΕΙ ΤΩ ΦΙΣΚΩ* &c. Gutberlet de Inscr. Smyrn. p. 133. Sic quoque Cicero de Republ. L. I. c. 12. pag. 35.

Quos cum omnes salutavisset (Scipio), convertit se in porticu, et conjecit in medium Lælium: fuit enim hoc in amicitia quasi quoddam jus inter illos, ut militiæ propter eximiam belli gloriam Africanum ut Deum coleret Lælius; domi vicissim Lælium, quod ætate antecedebat, observaret in parentis loco Scipio. Et in Evangelio Nicodemi c. 1. Pilatus cursori dicit: *ἔκβαλε αυτὸν ἔξω τοῦ Πραιτωρίου* (educ Jesum e prætorio).

CAP. VII.

V. 2. Σκηνοπηγία.

Festum tabernaculorum apud Judæos celebratissimum, in N. T. hoc tantum loco commemoratum, occurrit in Inscr. Berenicensi, initio:

ΕΤΟΥΣ ΝΕ ΦΑΩΦ ΚΕ ΕΠΙ ΣΥΛΛΟΓΟΥ ΤΗΣ ΣΚΗΝΟ-ΠΗΓΙΑΣ.

Wesseling de Archontib. Judæor p. 4.

V. 49. *ἀλλ' ὁ ὄχλος οὗτος, ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον, ἐπικατάρατοί εἰσι.*

Eadem enallage numeri legitur Matth. XXI. 8. Luc. I. 22. Apocal. XVIII. 4. Cum *ἕκαςος* quoque pluralis numerus construitur Joh. XVI. 32. Actor. II. 6. XI. 29. cf. Wineri Gramm. des N. T. p. 107.

Occurrit quoque in marmore Africano Golettæ in ipsis Carthaginis ruderibus adservato:

IMP. CAES. P. LICINIO. VALERIANO. PIO. FELICI. INVICTO. AVG. P. MAX. TRIB. POT. V. COS. III. P. P. PROCOS. ORDO DECVRIONVM TAB. . . . DENSIVM (Tabuda, quæ et Thapsus Byzacenes) FECERVNT. (Felice Caronni) Raguaglio di alcuni monumenti di antichitá ed arti raccolti negli ultimi viaggi di un dilettante. Parte II. Milano 1806 p. 133.

CAP. VIII.

V. 7. *ὁ ἀναμάρτητος ὑμῶν.*

Peccati expers, sceleris purus. In unico legi epitaphio pueri fere triennis ap. Muratorium Thesaur. Inscription. IV. p. 2062. *ΕΙΔΟΙΣ ΟΚΤΩΒΡΙΟΙΣ ΣΑΒΙΝΙΑΝΩ ΝΑΡΚΙΣΣΩ ΤΕΚΝΩ ΓΛΥΚΥΤΑΤΩ ΑΝΑΜΑΡΤΗΤΩ ΤΙΣ ΕΖΗΣΕΝ ΕΤΗ Β ΜΗΝΑΣ Θ ΗΜΕΡΑΣ Ι.*

V. 12. *et IX.* 5. *Ἐγώ εἰμι τὸ Φῶς τοῦ κόσμου.*

Servator pulcherrima hacce imagine se Soli comparat, universum mundum illustranti. Ita, sensu, et quantum quidem inferiori! Theodora Matrona ap. Spon. Misc. p. 151. *Φῶς οἴκου* appellatur.

ΔΘΔΙΟΣ (sc. maritus,) *ΑΠΟΛΕΣΑΣ ΦΑΟΣ ΟΙΚΟΥ.* et Regilla Herodis Attici uxor in celebratissima Inscriptione Triopæa bilingui appellatur *ΤΟ ΦΩΣ ΤΗΣ ΟΙΚΙΑΣ,* LVMEN DOMVS. Visconti Iscrizioni Triopée pag. 5. Neque plane deest imago lucis in moneta veteri. Fax enim Jovis accensa comparet in numo Tianorum (Spanh. Ep. IV ad Morell. p. 237); inque numis commatis Romani sæpe obvia fit DIANA LVCIFERA utraque manu faces ardentes gerens. De Cerere tædifera nihil h. l. moneo, quæ hoc habitu filiam ubique locorum quærens pingitur in multarum urbium numis.

V. 23. *Ἐγὼ ἐκ τῶν ἄνω εἰμί.*

Sic quoque de *rebus coelestibus* intelligitur Gal. IV. 26. Philipp. III. 14. Coloss. III. 1. de coelo apud Græcos usurpatum legitur Aeschin. Dial. III. 22. In lapide Florentino: *ΛΟΥΚΙΟΣ ΦΛΑΒΙΟΣ ΚΛΑΔΟΣ ΖΗΣΑΣ ΕΤΗ ΟΖ. ΩΡΑΝ ΜΙΑΝ ΧΑΙΡΕ ΕΝ ΤΟΙΣ ΑΝΩ.* Sed subdubito annon Christianus sit lapis. Obstat *ΧΑΙΡΕ* quod illo τοῦ extremi Vale sensu in monumentis Christianis me legere haud memini.

CAP. IX.

V. 31. *ἀλλ' ἐάν τις θεοσεβὴς ᾖ.*

Ἄπαξ λεγόμενον. Alexandrini posuerunt pro יְרֵא אֱלֹהִים Exod. XVIII. 21. Iob. I. 1. 8. II. 3. legitur quoque Judith XI. 16. In Samis Regis Armeniæ numis tantummodo occurrit *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΑΜΟΥ ΘΕΟΣΕΒΟΥΣ ΚΑΙ ΔΙΚΑΙΟΥ.* Eckhel III. p. 205.

V. 32. *ἐκ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσθη.*

Vel *ἀπ αἰῶνος* ut Lucæ I. 70. Esse Latinorum *post hominum memoriam* (nunquam vero Hebræorum מֵעֹלָם, ut docet Vorstius Phi-

lol. Sacr. N. T. II. p. 243) patet ex Diod. Sic. IV. cap. 83. de templo Veneris Erycinæ: *τὴν ἐξ αἰῶνος ἀρχὴν λαβὸν, οὐδέποτε διέλιπε τιμώμενον,* et ex lapide Arundeliano, (Seldeni Marm. Arundel. p. 34) C. Antonii Septimi Citharoedi victorias prædicante: . . . *ΚΙΘΑΡΩΔΟΣ ΜΟΝΟΣ ΚΑΙ ΠΡΩΤΟΣ ΤΩΝ ΑΠ' ΑΙΩΝΟΣ ΝΙΚΗΣΑΣ ΤΟΥΣ ΥΠΟΓΕΓΡΑΜΜΕΝΟΥΣ ΑΓΩΝΑΣ.* In ruderibus prope Halilei in agro Trojano, ubi fortasse situm erat vetus Ophrynium, inventus est lapis, in quo Attalis tribus laudat S. Jul. Festum *ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΝΤΑ ΛΑΜΠΡΩΣ ΚΑΙ ΦΙΛΟΤΕΙΜΩΣ ΚΑΙ ΠΡΩΤΟΝ ΤΩΝ ΑΠ ΑΙΩΝΟΣ ΚΑΙ ΜΕΧΡΙ ΝΥΝ ΜΟΝΟΝ ΕΛΑΙΟΜΗΤΡΗΣΑΝΤΑ, ΤΟΥΣ ΤΕ ΒΟΥΛΕΥΤΑΣ ΚΑΙ ΠΟΛΕΙΤΑΣ ΠΑΝΤΑΣ ΚΑΙ ΑΛΕΙΨΑΝΤΑ ΕΚ ΛΟΥΤΗΡΩΝ ΠΑΝΔΗΜΕΙ* (Walpole Memoirs p. 104.) M. Tullius Apamensis ap. Spon. Misc. p. 366 dicitur *ΜΟΝΟΣ ΚΑΙ ΠΡΩΤΟΣ ΤΩΝ ΑΠ ΑΙΩΝΟΣ ΠΥΚΤΩΝ.* Marmor Olbiopolitanum coronat Theodem Satyri fil. *ΝΕΙΚΗΤΗΝ ΓΕΝΟΜΕΝΟΝ ΤΩΝ ΑΠ ΑΙΩΝΟΣ . . . . ΚΑΙ ΤΩΝ ΤΗ ΠΟΛΕΙ ΣΥΜΦΕΡΟΝΤΩΝ.* Raoul Rochette Antiquités du Bospore p. 201. Sic quoque Secundum Pomponium in inscriptione Fourmontiana Lacedæmoniorum urbs *ΑΙΩΝΙΟΝ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΟΝ* dicit. h. e. per dies vitæ, *κατὰ βίον.* Osann. Sylloge Inscript. antiquar. p. 257. Similem vocis *ἀιων* usum in acclamationibus reperimus, quibus victores in muneribus gladiatoriis salutabantur. Commodo Imperatori post ejusmodi victoriam acclamatum fuisse *νικήσεις ἀπ' ἀιῶνος,* auctor est Dio Cassius L. LXXII. c. 20. p. 1221. Et apud Lucilium in Anthologia Græca L. II. c. 40.

Ὡς ἐξ αἰῶνος κατὰ τέσσαρα ταῦτ' ἐγενήθη.

ab orbe condito, ut Palairetus vertit.

'Αιὼν vero simpliciter dictus, ut Ps. LXXXIX, 9. uti quoque apud Homerum, Pindarum, Herodotum, intelligitur in lap. Chandleriano p. 30. *Ο ΔΗΜΟΣ ...... ΑΣΗΔΑΓΙΟΝ ΘΕΟΦΙΛΟΝ ΤΟΝ ΚΑΙ ΔΙ ΑΙΩΝΟΣ ΝΟΜΟΦΥΛΑΚΑ,* et de futuro tempore: *ΤΟΥΣ ΣΟΥΣ ΑΓΩΝΑΣ ΑΙΩΝ ΛΑΛΗΣΕΙ,* in clausula epitaphii latini Fusco Aurigæ factionis Venetæ positi ap. Fleetwood p. 136.

CAP. X.

V. 14. *Καὶ γινώσκω τὰ ἐμά, καὶ γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν.*

γινώσκειν h. l. ut sæpius in N. T. sicuti ידע, habet significationem *amandi* v. c. ibid. v. 15. 27. Rom. X, 19. 1 Cor. VIII, 3. *εἰ δέ τις ἀγαπᾷ τὸν θεὸν, οὗτος ἔγνωσται ὑπ' αὐτοῦ.* Gal. IV, 9. *μᾶλλον δὲ γνωσθέντες ὑπὸ θεοῦ.* (cf. Winerum in Ep. ad Galat. p. 64). 2 Timoth. II. 19. *ἔγνω κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ.* Sic quoque in inscriptione Reinesiana idem hoc verbum usurpatum esse videtur. Fratres nempe, qui Petrocoraci monumentum posuerunt, nomen ejus dicunt *γνωστὸν πολλοῖσι βροτοῖσι,*

ΔΙΑ ΤΟΥΤΟ
ΜΝΗΜΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΧΑΡΙΤΟΣ ΔΕ ΑΠΑΣΗΣ ΟΙ
ΣΟΙ ΑΔΕΛΦΟΙ
ΕΘΗΚΑΝ ΓΝΩΣΤΟΝ ΠΟΛΛΟΙΣΙ ΒΡΩΤΟΙΣΙ ΙΝΑ
ΣΕ ΠΑΣ ΠΑΡΑΓΩΝ ΟΝΟΜΑΖΗ
ΑΓΑΘΕ ΠΕΤΡΟΚΟΡΑΞ.

(Reines. Class. XVII. p. 863.)

Non solum enim *notum*, sed *amabile* quoque ejus nomen facere, ideoque fratris defuncti memoriæ benevolentiam viatorum conciliare studuerunt:

V. 36. ὃν ὁ πατὴρ ἡγίασε, καὶ ἀπέστειλεν εἰς τὸν κόσμον.

Quem Deus destinavit hominibus voluntatis suæ interpretem. Habet igitur ἁγιάζειν notionem *destinandi aliquem ad officium aliquod, munus demandandi.* Sic quoque קדש Jesaiæ XIII, 3. de Medis legitur a Deo ad excidium Babylonis destinatis, quæ Prophetæ verba Aquila ita vertit: ἐγὼ ἐνετειλάμην τοῖς ἡγιασμένοις μου. coll. v. 17. Adde Sirac. XLV. 4. XLIX. 8. In marmoribus latinis legitur de sacerdotibus Diis consecratis ad officium suum obeundum. Sic in titulo Fabiæ Aconiæ Paulinæ, Beneventi: SACRATÆ APVD ELEVSINAM DEO BACCHO CERERI ET CORÆ. SACRATÆ APVD LAERNAM. DEO LIBERO ET CERERI ET CORÆ. SACRATÆ APVD ÆGYNAM DEABVS TAVROBOLITÆ ISIACÆ HIEROPHANTRIÆ DEÆ HECATÆ GRÆCO SACRATÆ DEÆ CERERIS. Fleetwood p. 131. Et Christianos universe in Novo Testamento vocari ἁγίους, non est, quod moneam.

CAP. XI.

V. 11. Λάζαρος ὁ φίλος ἡμῶν, κεκοίμηται.

Sic κοιμᾶσθαι, euphemistice pro morte, 1 Reg. II. 19. 1 Paral. XVII. 11. et sæpius. Ex Oriente igitur petita imago, Talmudistis quoque familiaris, qui loco hebraici שכב, suum דמך *dormit* ponunt ubi de morte loquuntur. Eandem, quæ dulcedine sua sese magnopere commendavit, mortis et somni comparationem amplexi sunt Græci atque Romani, et sæpe adhibuerunt. Illi quidem ab Homerica inde ætate, quum Iliad. XVI, v. 672. somnus mortis dicitur frater; quam imaginem præterea pulcherrimum illud Callimachi Epigramma, olim haud dubie lapidi incisum, exprimit:

Τῇδε Σάων ὁ Δίκωνος Ἀκάνθιος ἱερὸν ὕπνον
Κοιμᾶται· θνήσκειν μὴ λέγε τοὺς ἀγαθούς.

Sic quoque in disticho apud Reinesium Append. p. 1030:

ΚΑΙ ΛΕΓΕ ΠΟΠΙΛΙΗΝ ΕΥΔΕΙΝ ΑΝΕΡ· ΟΥ ΘΕΜΙΤΟΝ ΓΑΡ.
ΘΝΗΣΚΕΙΝ ΤΟΥΣ ΑΓΑΘΟΥΣ, ΑΛΛ ΥΠΝΟΝ ΗΔΥΝ ΕΧΕΙΝ·

In nonnullis marmoribus quoque legitur: *ΙΕΡΩ ΥΠΝΩ.*

Apud Romanos iidem hi tituli frequentes sunt: SOMNO ÆTERNALI. SOMNO SEPVLCRO ÆTERNALI SACRVM (Fleetwood p. 222). QVIETI ÆTERNÆ SOMNO ÆTERNO SACRVM (Lupoli Iter Venusinum p. 287).

Hinc quoque Hebræis dicitur בַּיִת Jesaiæ XIV, 18. (vide Gesenii Commentarium in h. l.) Eccles. XII, 5. בֵּית עֹלָמוֹ, et Tobiæ III, 16. *αἰώνιος τόπος*, et in inscriptione Erfurtensi a. Chr. 1391. Mosi fil. Rabbi Calonymi posita. שכבה נרו והל לעולמו *cujus lucerna extincta est & qui abiit ad domum suam æternam.* (Bellermann Inscriptt. Hebraicæ Erfordiæ repertæ Partic. II. 1794). Vetera autem Orientalium sepulcra in formam ædium sæpe exstructæ vel rupi incisa fuisse, monumenta regum Persarum prope Persepolin, atque alia opulentiorum hominum in ruderibus Telmissi conspicua (Hammeri topographische Ansichten p. 97), ut et cryptæ testantur Thebanorum in Aegypto regum, in conclavia magna summaque arte exornata divisæ. Eadem sepulcrorum struendorum ratio ad Græcos Romanosque migravit, cujus rei fidem faciunt monumenta Syracusana, quæ in Necropoli hujus urbis cernuntur, et columbaria Romana, ad quæ haud dubie adludit Horatius Od. I, 4:

Jam te premet Nox, fabulæque Manes,
Et domus exilis Plutonis.

et Inscriptio apud Gorium Mus. Etrusc. I, 444:

. . . . CORPVS CREMATVR
ÆTERNAMQVE DOMVM PETIMVS ET FINE(m) LABORVM.

Neque minus sepulcrum in monumentis Christianis vocatur DOMVS ÆTERNA. Reines. Class. XX. n. 183. 204. 212. 363. Sed vox *æterna* intelligenda est de tempore longo et indefinito, non vero infinito.

Eædem hæ notiones ex vulgari hominum sermone migrarunt in artis opera. Inde Genius Mortis, ut et Sommus, pedibus decussatim positis, quiescentis meditantisque habitu, tæda deorsum versa et extincta, ut videre est in anaglyphis, quibus urnæ cinerariæ ornantur, (in Admirandis Romæ. Lessingii elegantiss. D. wie die Alten den Tod gebildet haben (Berol. 1769). Winckelm. über die Allegorie — in quibus libris complura recensentur monumenta;) porro in numis, (v. c. Dorylæi Phrygiæ ap. Sestin. Descr. num. Vet. Tab. XI. 2, qui servatur in Numophyl. Regis Daniæ, v. Vol. I. p. 285 atque Hadrianopoleos Thraciæ, ibid. p. 106. Tab. II. no. 12) et in gemmis, quarum unam, Sardam e Corcyra Insula adlatam, in meis scriniis servo. Inde porro admirabile artis statuariæ opus, villæ Regis Hispaniarum a S. Ildephonso dictæ, ornamentum, quod fratres, mortis atque somni genios, stantes, brachiis humeros circumplexis, summæ igitur familiaritatis atque consvetudinis habitu, pedibusque decussatis (διεςραμμένους τοὺς πόδας, Pausan. Eliac. c. 18. sic enim visebantur in anaglyphis cistæ, quæ in cimeliis ædis Junonis Eliacæ servabatur) una cum face extincta sistit (Tychsen über alte Kunstwerke in Spanien, in der Biblioth. der alten Literatur u. Kunst I. p. 92) Rarius occurrit sceleti imago;

quâ tamen ipsa mors vel mortis Genius haud exprimebatur, sed ex Lessingii sententia, larvæ, ex Herderi autem mente (Zerstreute Blätter II. p. 3) vultus monstrosi (l. l. p. 67 seq. qui gallice *Masques* audiunt: sunt vero hi lemures. Exempla adferunt Lippertus Dactyliothecæ Supplemento no. 471-473. Jorius in libello de' scheletri Cumani (Napoli 1810) Tab. I. Sicklerus de monumentis aliquot Græcis in sepulcro Cumeo recenter effosso observatis (Wimar 1810) Tab. II. et Millinus in Description des Tombeaux de Pompeji Pl. III. fig. 5. Gorius denique Musei Etrusci I. p. 455 et Passeri in Gemmis Astriferis II. p. 248, bigis leænarum vectam exhibent, de quâ ad Apocal. VI. 8. Aliud sceletum in tessera eburnea spectandum dat Caylus Recueil d'Antiquitès III. Tab. 78 attamen de hujus genuina fide haud certe constat.

A Somno petitum est sepulcri nomen εὐναςήριον apud Lycophr. v. 583. Latinorum *Quietorium*, translatum a significatione verbi ἀναπαύεσθαι, quo placide mortui indicantur; vide ad Apocal. XIV. 13. — Quantum vellem, me ad phoenicia quoque provocare posse monumenta, de quorum sincera lectione nullus esset dubitandi locus! Inscriptionis Citiensis Oxonii adservatæ lineam secundam ita exposuit Barthelemyus: שלם בחיו . . . . נאת על משכב בחתי לעלם כלא

Post vitam pacifice transactam requiesco in sepulcro per omnia secula.

Sed quum Svintoni, Åkerbladii, Sacyique interpretationes ab hacce recedant, et omnes fere Phoenicum inscriptiones tantis adhuc difficultatibus sint impeditæ, sufficiat doctissimi Galli interpretationem, ut legitur in Hist. de l'Ac. des Inscr. et B. L. Tomo XXX, p. 405, brevissime et nullo interposito judicio heic retulisse. De aliis vide Åkerblad. Inscript. Phoenic. Oxoniens. nova Interpr. Paris 1802.

et Silvestre de Sacy notice d'une Dissert. de M. Akerblad. ibid. 1803. Unum tamen addamus, similem illius, quam Barthelemyus in marmore Citiensi legere sibi visus est, loquutionem occurrere Job. XXI, 13. *ἐν τῇ ἀναπαύσει ᾅδου ἐκοιμήθησαν*; Præterea Judæi in epitaphiis formula illâ utuntur solemni: מנוחו תהא בגן ערן, *Sit requies ipsius in paradiso!* v. Bellermanni Inscript. Hebraicas Erfordienses. Sic etiam in monumentis Judæorum Græcis ap. Fabrett. Inscr. Dom. p. 389: *EN EIPHNH KOIMHΣIΣ* v. *KYMHΣIΣ AYTOY.* et in alia Beturiæ proselytæ ap. eundem p. 465, n. 1. B EN IRENÆ AV CVMISIS AVTIS (ubi notandam, primum B esse hebræum ב et literas AV ante CVMISIS notare ו hebræum. Ita quoque habet cippus hebraicus sec. IX in templo S. Trinitatis Lavellano Lucaniæ: פה הרגיע כלב בשנתו. *Hic quiescit Caleb in sommo suo.* (Domen. Tata Lettera sul monte Vulture. Napoli 1778 p. 17). *Dormitionem* autem *in pace* expressis verbis commemorant libri rituales Judæorum de sepultura mortuorum agentes, quos latinos fecit Gilbertus Genebrandus. Quam quoque ob causam in eorum monumentis passim scriptum legitur שלום una cum palmæ ramo lapidi inciso. Legitur enim apud Lupium Epitaph. S. Severæ p. 177. *ENΘAΔE KEITAI ΦAYΣTINA* שלום. Et titulus hebraicus sec. IX. Lavellæ in palatio Ducali habet: יבוא שלום וינוח על מנוחתו. *Adveniat pax et requiescat super ejus quiete.* Tata sul monte Vulture p. 11. in alio denique ejusdem circiter ætatis legitur ibid. p. 15: יבוא שלום וישב בו *veniat pax et inhabitet in eo.*

Requies quoque legitur: v. c. REQVIES OPTIMORVM MERITORVM in numis Consecrationis Claudii Gothici, Maximiani Herculei & Constantii Chlori. Et in inscriptionibus Christianis sæpe

obviam fit: IN SOMNO PACIS REQVIESCIT. (Lupoli iter Venus. p. 129) v. REQVISCIT IN PACE, v. tantum IN PACE. cf. Aringium in Roma subterranea, et Boldettum de Coemeteriis Martyrum.

V. 19. *ἐληλυθείσαν πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν.*

Ex notissimo Græcismo de personis singulis intelligendum *venerant ad Martham* & *Mariam.* Sic occurrit in marmore Olbiopolitano apud Raoul-Rochette l. l. p. 190: *ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΜΑΡΚΟΥ ΟΥΛΠΙΟΥ ΠΥΡΡΟΥ ΑΡΣΗΧΟΥ, ΟΙ ΠΕΡΙ ΠΟΣΕΙΔΗΝ ΖΗΘΟΥ ΤΟ Γ ΑΓΟΡΟΝΟΜΟΙ, ΚΟΥΝΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΥ* &c. Quæ quidem verba Raoul-Rochette sic gallice reddit: sous l'Archontat de M. V. Pyrrhus fils d'Arseochus, les Agoronomes, Posides fils de Zethus pour la troisiéme fois, Kunus fils d'Athenée &c. Sic quoque legitur apud enndem auctorem p. 146 in alia Inscriptione *ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΩΝ ΤΩΝ ΠΕΡΙ ΘΕΟΚΛΕΑ ΣΑΤΥΡΟΥ ΤΟ Δ.* Archonte Theocle Satyri f. quartum.

Notandum tamen, nonnihil dubiam hoc l. esse lectionem S. Codicis, quum Codex Cautabrig. D. *τὰς περὶ* plane omittat, aliique legant *πρὸς τὴν Μ. κ. Μ.* Syrus etiam interpres habet tantum sororum nomina. cf. Winerum in Grammatica N. T. p. 42.

CAP. XII.

V. 1. *πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ Πάσχα.*

Sex dies ante Pascha. Græcam esse loquutionem, non hebraicam aut syriacam, probat Mazocchius Spicil. Bibl. III. p. 196. Græci enim quod Romani A. D. VI KAL. dicebant, interpretabantur *πρὸ ἓξ ἡμερῶν καλανδῶν*, et sic semper, quoties usu Romano dies numerarunt, eo modo sunt loquuti. Sic, ut pauca tantum afferamus, Eu-

seb. de martyr. Palæstinæ c. 1. Procopii martyrium consignat *Δησίου μηνὸς ὀγδόῃ, πρὸ ἑπτὰ εἰδῶν Ἰουνίων λέγοιτ' ἂν παρὰ Ρωμαίοις.* Et Hist. eccl. IV, 5. *Μαρτυρεῖ δὲ ὁ μακάριος Πολύκαρπος μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱςαμένου, πρὸ ἕπτα Καλανδῶν Μάιων, σαββάτῳ.*

Eundem usum servant marmora. In Neapolitano apud Hagenbuch. epistol. Epigr. p. 466: *ΣΕΒΗΡΩ ΚΑΙ ΕΡΕΝΝΙΑΝΩ ΥΠΑΤ. ΠΡΟ Ε ΕΙΔΩΝ ΜΑΡΤΙΩ.* Apud Siculos eadem communis et passim obvia post Christianam epocham fuit ratio adnotandi dies præcedentes Kalendas ipsas, Nonas et Idus præpositione *ΠΡΟ* antecedente: v. c. *ΠΡΟ ΚΑΛΑΝΔΩΝ, ΠΡΟ ΕΙΔΩΝ*, ut et inverso ordine *ΑΠΟ ΚΑΛΑΝΔΩΝ.* vide ad prius Princ. Turris Mutii Inscript. Classe XVII, 6. 9. 14. 27. 29 &c. ad posterius ibid. 2. 8. 11. 12. 23. 57. &c.

Inscriptionem latinam adfert Mazocchius, quæ sequitur: PAGVS HERCVLANEVS SCIVIT A. D. X TERMINA . . . (ante diem X Terminalium) quæ continet pagiscitum pagi Herculanei prope Neapolin. cf. de hoc marmore præter Mazocchium, Franciscum Danielem in Numism. Capuana p. 102. Sic quoque inscr. Capuana ap. Mazocch. eaque Christiana, in qua LEONINA, quod erat nomen feminæ: dePOSITA dicitur XV. KAL. APRILIS IND. GI. (h. e. VII) ANTE GII (VIII) DIES PASCES.

V. 6. ἀλλ' ὅτι κλέπτης ἦν, καὶ τὸ γλωσσόκομον εἶχε, καὶ τὰ βαλλόμενα ἐβάςαζεν.

Γλωσσόκομον (Jo. XIII. 29) proprie significasse videtur cistellam, v. arcam servandis musicorum tibiis ligulisque idoneam; deinde translatum est ad quamlibet arculam rebus pretiosis aut certe necessariis condendis aptam. Apud Galenum est capsula, scrinii instar, in

qua tabulæ aut reconditiores literæ, aut etiam res pretiosiores recondebantur et quam multi, quum iter facerent secum ferre solebant. v. Schleussnerum. Etiam de marsupio, ut nostris in locis, usurpari, docet Hemsterhusius ad Aristoph. Plutum v. 711. Raram hanc vocem inveni in testamento Epictetæ Spartanæ (Maffei Mus. Veron. p. 14 sequ.) ubi de theca tabulis et reconditioribus literis servandis destinata intelligitur, eoque libentius locum transscribo, quum γλωσσόκομον cum ἐμβάλλειν conjungi animadvertam: legitur enim p. 28. *ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΘΗ ΔΕ ΚΑΙ ΓΛΩΣΣΟΚΟΜΟΝ ΕΣ Ο ΕΜΒΑΛΛΟΥΜΕΣ ΤΑ ΤΟΥ ΚΟΙΝΟΥ ΓΡΑΜΜΑΤΑ,* et paullo inferius: *ΚΑΙ ΤΟ ΓΛΩΣΣΟΚΟΜΟΝ ΚΑΙ ΤΑ ΕΝ ΑΥΤΩ ΒΙΒΛΙΑ.* cf. Mazocchium Spic. Bibl. III. p. 216.

ἐβάσταζεν. Βαστάζειν *auferendi, furto surripiendi* sensu accipi ap. Græcos, docuit Krebsius Obss. Flav. p. 153, et Mazocchius Dissert. de notione verbi βαστάζω pag. 216. Sic etiam ἅπτεσθαι ap. Joseph. de B. Iud. I. 7, 6. οὔτε δὲ τούτων, οὔτ' ἄλλου τινος τῶν ἱερῶν κειμηλίων ἥψατο (Pompejus). Eodem sensu Ciceroni venit verbum *attigit* (pro Flacco c. 28) et in marmoribus Græcis *ΦΕΡΕΙΝ,* quod legitur in Diris Teiorum. ap. Chishul. p. 99.

CAP. XIII.

V. 15. ὑπόδειγμα γὰρ ἔδωκα ὑμῖν.

Exemplum dedi vobis, quod sequamini. Sic in inscriptione, a Burckhardo in Auranitide reperta: Reise nach Syrien p. 156.

ΧΑΙΡΕ ΚΑΛΗ ΠΑΣΩΝ ΠΡΟΣΦΕΡΕΣΤΑΤΗ ΕΙΝΕΚΕ ΠΑΝΤΩΝ

ΣΕΜΝΟΤΑΤΗ ΣΥΝΟΜΕΥΝΕ ΚΑΛΩΝ ΥΠΟΔΕΙΓΜΑ ΦΙΛΑΝΔΡΩΝ
ΦΛΑΟΥΙΑ ΤΩΝ ΧΑΡΙΤΩΝ Τ'ΟΥΝΟΜΑ ΚΤΗΣΑΜΕΝΗ, &c.

cujus quidem ultimi versus, si opus est, emendationem a Cl. Reissig tentatam videsis p. 504 ubi in Hexametrum restituitur.

V. 37. 38. *Τὴν ψυχήν σου ὑπὲρ ἐμοῦ θήσεις;*

Sic quoque Joh. X. 11. de bono pastore. Similem phrasin habet marmor Tiberii Cæsaris ætate incisum, ap. Ferrer. Musæ lapidar. p. 81:

SI PENSARE ANIMAS SINERENT CRVDELIA FATA,
ET POSSET REDIMI MORTE ALIENA SALVS,
QVANTVLACVMQVE MEAE DEBENTVR TEMPORA VITAE,
PENSASSEM PRO TE, CARA HOMONOEA, LIBENS.

CAP. XV.

V. 16 *Οὐχ ὑμεῖς με ἐξελέξασθε, ἀλλ' ἐγὼ ἐξελεξάμην ὑμᾶς.*

Sic in epitaphio Coeliæ Claudianæ Vestalis Maximæ ap. Gruterum p. 310, 2:

COELIÆ CLAVDIANÆ V. V. MAXIMÆ A DIIS ELECTA MERITO SIBI TALEM ANTISTITEM NVMEN VESTÆ RESERVARE VOLVIT.

CAP. XVIII.

V. 10. *Μάλχος.*

Nomen hoc servi, hebraicum, syriacum, arabicumque, מלך, quod Græci *Πορφύριος* reddiderunt, legitur in secunda inscr. Palmyrena: *ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΕΚΤΙΣΑΝ ΕΛΑΒΗΛΟΣ ΜΑΝΝΑΙΟΣ ΣΟΧΑΕΙΣ ΜΑΛΧΟΣ ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟΣ* &c. Bernard p. 3.

V. 13. καὶ ἀπήγαγον αὐτὸν πρὸς Ἄνναν πρῶτον.

Honores maximos habitos fuisse Annæ auctor est Josephus, haud dubie qui aeorum, qui pontificatum gesserunt, erat natu maximus, quod etiam cum Ethnicorum disciplina consentit. Grut. p. 314. 1. habet lapidem, in quo *Ο ΠΡΕΣΒΥΤΑΤΟΣ ΤΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩΝ ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΣΕΡΑΠΙΔΟΣ.*

CAP. XIX.

V. 7. Ὀφείλει ἀποθανεῖν.

ὀφείλειν h. l. est *cogi, necessitate teneri*, id quod clarius evincitur e præcedentibus, *καὶ κατὰ τὸν νόμον ἡμῶν, lex qua Jesus mortis reus declaratur.* Forensis autem hic verbi *ὀφείλειν* sensus habetur in marmore Sandvicensi, Tab. postica l. 24: *ΟΙ ΔΕ ΩΦΛΟΝ ΔΗΛΙΩΝ ΑΣΕΒΕΙΑΣ.* Quorum quidem verborum constructionem paullo impeditiorem ita explicat Taylorius p. 84: nonnullos Deliacos homines, quorum nomina in eis, quæ sequuntur recensentur, reos factos esse *ἀσεβείας*, i. e. sacrilegii.

V. 12. οὐκ εἶ φίλος τοῦ Καίσαρος.

Fidus Cæsaris minister. Sic saltim Esther. I, 3. *ὡς πέμποι τινὰ ὁ βασιλεὺς τῶν ἑαυτοῦ φίλων*, cui hebraicum שַׂר, *Princeps*, respondet. Sic quoque latine *amicus*. Justin. I, 9. Sveton. Tiber. c. 35. cf. Wetsten. qui ad h. l. multa exempla collegit. Hoc sensu legitur sæpius in inscriptione Sigea l. *ΦΙΛΟΙ ΑΝΤΙΟΧΟΥ.* l. 15 *ΜΑΛΙΣΤΑ ΜΕΝ ΔΙΑ ΤΗΝ ΙΔΙΑΝ ΑΡΕΤΗΝ ΕΙΤΑ ΚΑΙ ΔΙΑ ΤΗΝ ΤΩΝ ΦΙΛΩΝ ΚΑΙ ΔΥΝΑΜΕΩΝ ΕΥΝΟΙΑΝ.* (*Δυνάμεις* sunt h. l. magistratus. vide ad Rom. VIII. 38). l. 22. 23. *ΤΗΝ ΤΕ ΠΑΡΟΥΣΙΑΝ ΓΕΓΟΝΕΝΑΙ ΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΔΕΛΦΗΣ ΑΥΤΟΥ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΑΙ ΤΩΝ ΦΙΛΩΝ ΚΑΙ ΤΩΝ ΔΥΝΑΜΕΩΝ.* Murat. Thesaur. IV, p. 2118.

Alio sensu occurrit in monumentis *ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡ*, uno verbo. Hoc enim maximi erat regibus honori, in amicitiam P. R. et Cæsarum admitti. Sic inscriptio in Chersonneso Taurica reperta Tib. Jul. Sauromaten salutat *ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡΑ ΚΑΙ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΝ* (Köhler Monum. de Comysarye p. 69) Agrippa Rex dicitur *ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ*; et vel privati homines hoc honoris titulo ornati fuerunt: sic apud Chandlernm p. 29. T. Flavius Leontis filius vocatur:

ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΣ ΚΑΙ ΦΙΛΟΣΕΒΑΣΤΟΣ ΚΑΙ ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΔΟΣ.

Iidem *φίλοι* audiunt quoque *συγγενεῖς*, quo titulo affinium regis ornantur Thebaidis Strategus et Epistolographus in marmora Philensi, Journal des Savans 1821 p. 658. Sic quoque marmor. Oxon. 261. Prideaux. habet *ΜΑΡΚΟΝ ΣΥΓΓΕΝΕΙ ΤΟΥ ΒΑΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ.* *Συγγενεῖς βασιλέως* habent quoque rerum persicarum scriptores. Idem Gallicus mos proceres appellandi in litteris regiis: *mon cousin.*

V. 41. ἦν δὲ ἐν τῷ τόπῳ, ὅπου ἐςαυρώθη, κῆπος.

Intellige de *Cepotaphio*, id quod optime docuit Mazocchi Dissert. de cepotaphio Christi Domini Spic. Bibl. III. p. 219. Cepotaphium enim apud veteres erat sepulcrum cum *ὑπαίθρῳ*, area subdivali, muro aut maceria cinctum, et haud raro arboribus funebribus, Cypressis aliisque, consitum. Hoc de sepulcro, de quo agimus, Josephi Arimathei, indicare præterea videtur Cap. XX. 15, ubi de *κηπούρῳ* sermo est, licet fatendum hunc esse potuisse *custodem*, (ut v. c. *οἰκουρός*, quæ vox hanc habet significationem) non *cultorem*. Sed haud video, cur, si modo non cogitemus de horto oleribus colendis destinato, a cura arborum exclusus fuerit hic homo, quum utrumque, colendi et custodiendi, officium perbene conjungi potuerit. Et hortos, sepulcris

adnexos habuisse Hebræos, ex V. T. facile probatur. De Manasse Rege legitur 2 Reg. XXI. 18 eum sepultum fuisse in horto Usiæ. De Davidis sepulcro in cryptis Sionis montis, de quo egi commentt. antiquar. pag. 87, habet Alexandrinus interpres Nehem. III. 16, Nehemiam quendam ædificasse ἕως κήπου τάφου δαβὶδ; licet hebraicus textus jam habeat עַד־נֶגֶד קִבְרֵי דָוִיד; qui igitur legisse videtur olim עד גנת. Apud Persas, Cyrum sepultum fuisse ἐν παραδείσῳ Pasargadis, in turri non sane magna, quæ fortasse hodieque superest (v. Hoek veteris Mediæ & Persiæ monumenta, pag. 55 sequ.) arborum densitate occulta, auctor est Strabo Lib. XV. c. 3, 7. et Arrianus VI. 29. Neque apud Romanos insolitum fuisse huncce in hortis sepeliendi morem testantur auctores. Mausoleum Augusti situm erat in horto. Idem de Domitiorum sepulcro, in quo conditus fuit Nero Cæsar, suspicatur Mazocchius; idemque hoc haud exiguus inscriptionum numerus docet, e quarum agmine paucas tantum proferemus. HIC LOCVS CVM HORTVLO SVO RELIGIOSO (sic enim vocabantur loca sepulturæ muro vel maceria septa, haud dubie quia ceremoniis religiosis consecrata erant) ET AEDIFICIOLIS SVIS MVRO CINCTIS AD SEPVLCRUM MINDIAE IVLIAE ET P. AELI PHILETI PERTINET &c. (Grut. p. 809, 2) HORTVLOS AEDICVL. ET SACELL. CVM DISTEG. SERVILIA CYNIRA SIBI ET M. SERVILIO. (Fleetwood p. 290, 5) AVRVL. FILOCVRIVS FECIT SE BIBO (vivo) SIBI ET VLP. EVPROPRIE COIVGI MEMORIOLAM CVM. ORTVLO SVMIACENTE SVBVS LIBERTIS LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM. (Fabretti Inscr. Domestic. p. 85, no. 155) HOC CEPOTAPHIVM MVRO CINCTVM CVM SVO IVRE OMNI EX AVCTORITATE PONTIFICVM POSSEDERVNT. (ibid. p. 115. No. 293). Et in Epitaphio Claudiæ Semnes: HVIC

MONVMENTO CEDET HORTVS IN QVO TRICLIÆ (tabernacula) VINIOLA PVTEVM ÆDICVLÆ &c. (cf. Wolf & Buttmann Mus. der Alterth. Wissensch. I. p. 536. seqv.)

Q. MEDICVS AVG. LIB. A. SOLO. SIBI. FECIT HOC CEPOTAFIV. QVINTA VITALIS FILIA MEA POSSIDEBET. SINE. CONTROVERSIA (Mazocchi p. 222) D. M. PEDVCAEA. IRENE. FECIT SE VIVA CEPOTAFIVM QVOT CONTINET IN F(ronte) P(edes) XX. IN AG. P(edes) XX. unde patet talia cepotaphia nonnunquam fuisse exigui ambitus, et paucis, si qui fuerunt, arboribus obsita.

Hi probabiliter sunt etiam *κῆποι*, quos Christianis restitui jusserunt Constantinus et Licinius in constitutionibus pro Christianis ap. Eusebium Hist. Eccles. X. 5. *Σποίδασον εἴτε κῆποι, εἴτε οἰκίαι, ἔιτ' ὁτιοῦν δήποτε τῷ δικαίῳ τῶν αὐτῶν ἐκκλησίων διέφερον, συμπάντα αὐταῖς ἀποκαταςαθηνᾶι ὡς τάχιςα.* Extat præterea monumentum Christianum græcum, in quo hujusmodi horti fit mentio: † *ΙΩΑΝΝΗΣ ΡΟΥΦΙΝΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΟΣ* . . . . . . *ΔΩΡΗΣΑΜΗΤΟ ΚΗΠΙΟΝ ΤΟΥΤΟ ΘΕΟΔΩΡΩ ΤΩ ΕΜΩ ΓΝΕ (γνησίῳ?) ΕΚΓΟΝΩ* † *ΚΑΙ ΠΝΕΥΜΑΤΙΚΩ ΥΙΩ* † (Reines. Class. IX. n. 325 et Mazocchi p. 222).

Cui aliud adjicimus latinum, quod quoque esse Christianum, aut saltem Judæum, nomen *Mariæ* docet, ap. Fabrettum. p. 115 no. 249 IN HOC CEPOTAPHIOLO CVM SVPERFICIO GERVLONIA MARIA ET AVR SENTIA ET FILIORVM LIB. LIBQVE POSTERISQVE EORVM.

Plura dabunt Fabrettus Inscriptt. Domestic. p. 80, 19. Lupus Epitaph. S. Severæ p. 147, 2, 3. Donius Inscr. antiqu. p. 106, 178.

Muratorius Thes. p. 934 3. Boldetti sopra i cimiteri de S. S. Martiri. p. 446 et Mazocchius.

CAP. XX.

V. 12. ἕνα πρὸς τῇ κεφαλῇ.

Præpositionem hanc πρὸς cum Dativo, ubi *ad, juxta*, significat, quæ quoque legitur Joh. XVIII. 16. habent quidem Græci, utpote Aristoph. Plut. v. 543. πρὸς τῇ κεφαλῇ, et Ælian. Var. Hist. IX. 39. πρὸς γυμνασίῳ. Videtur tamen usitatior fuisse in dialecto Hellenistica et Alexandrina, licet a Sturzio haud invenerim notatam. Occurrit apud τοὺς Ὁ, Genes. XXVIII. 11. Ezech. XXXIX, 11. v. Schleusn. Habetur sæpe in numis Cilicibus et Syriacis: *ΙΕΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩ ΠΥΡΑΜΩ* in Cilicia. *ΛΑΕΡΤΙΝΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩ ΠΥΡΑΜΩ* ibid. (Sestini Class. p. 100 et 101.) *ΚΑΙΣΑΡΗΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩ ΑΝΑΖΑΡΒΩ* (Sestini Class. p. 48). *ΤΑΡΣΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩ ΚΥΔΝΩ* (ibid. p. 104). *ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ ΠΡΟΣ ΘΑΛΑΣΣΗ.* (ibid. p. 71). *ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ ΠΡΟΣ ΡΥΝΔΑΚΩ.* (ibid. p. 72). *ΚΑΙΣΑΡΙΑΗ ΠΡΟΣ ΤΩ ΣΕΒΑΣΤΩ ΛΙΜενι*, in numo Agrippæ I. (ibid. p. 154). *ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΔΑΦΝΗ* loco επὶ Δαφνῆς, ut in alio *ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΠΙ ΚΑΛΛΙΡΟΗ.* (Eckh. III, p. 305). *ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩ ΣΑΡΩ* (ibid. p. 46). *ΙΕΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩ ΠΥΡΑΜΩ* (Sestini Class. p. 100). *ΜΕΓΑΡΣΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩ ΠΥΡΑΜΩ* (ibid. p. 101). *ΕΛΕΥΘΕΡΟΚΙΛΙΚΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩ ΠΥΡΑΜΩ. ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩ ΚΑΛΥΚΑΔΝΩ, ΑΠΑΜΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩ ΑΞΙΩ.* (Vaillant Imp. Seleucid. p. 261). Cum accusativo conjunctam, ut Matth. III, 10. IV, 6. XXI, 1. πρὸς τὸ ὄρος τῶν ελαιῶν &c. inveni in numo *ΛΑΟ-*

ΔΙΚΕΩΝ ΠΡΟΣ ΘΑΛΑΣΣΑΝ (Pellerin Recueil. Rois. Pl. X) et in inscriptione ab Hammero V. Clariss. vulgata in Topogr. Ansichten der Levante p. 162. *ΜΑΡΚΟΥ ΤΟΥ ΜΑΡΚΟΥ ΑΝΤΩΝΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΣΕΛΕΥΚΕΩΣ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΕΥΦΡΑΤΗΝ.*

CAP. XXI.

V. 18. καὶ ἄλλος σε ζώσει.

Verbum habemus in marmore, quod in Bibliotheca regia Parisiensi adservatur, Orippo cuidam a Megarensibus posito, ubi ultimi versus:

ΠΡΩΤΟΣ Δ'ΕΛΛΑΝΩΝ ΕΝ ΟΛΥΜΠΙΑ . . . ΕΣΤΕΦΑΝΩΘΗ

ΓΥΜΝΟΣ, ΖΩΝΝΥΜΕΝΩΝ ΤΩΝ ΠΡΙΝ ΕΝΙ ΣΤΑΔΙΩ.

Millin. Magaz. Encyclop. 1800. III. p. 537. Primus igitur hic nndus in stadio victoriam reportavit, quum ante eum omnes cingulo amicti in arenam descendissent.

Hæc hactenus. Occasionem vero scribendi indicavit hujus Programmatis frons. Inaugurandus enim jam nobis est quartum Episcopus Ripensis. Primum, *Victorem Christianum Hiort*, præmatura mors extinxit anno 1818. Alterum, Reverendissimum *Stephanum Tetens*, Augustissimus Rex vel ante auspicatum munus ad novam sedem in Insulis Alsia Ærroëaque conditam, transtulit. Tertii recens lugemus funus: *Jani Michaelis Hertz*, S. Theologiæ Doctoris, viri omni laude cumulati, oratoris egregii, poëtæ præclari, qui duodecim libris carmen epicum de Israelitarum ex Ægypto exitu pulcherrimis versibus hexametris condidit *), felicis antiquitatis Pentateuchi adversus de Wettium assertoris **), et introductionis eruditæ in opus Julii Firmici Materni de errore profanarum religionum auctoris ***), qui labente anno 1825, nondum sexagenarius, postquam vix ultra sex annos episcopatum Ripensem gessisset, lugentibus omnibus bonis diem obiit. Cujus desideratissimi collegæ in locum ab Augustissimo Rege suffectus est vir S. V. *Conradus Daniel Koefoed*, S. Theol. Doctor, et ædis Cathedralis Ripensis, atque ecclesiarum in præfecturæ Ripensis parte septentrionali præpositus. Ejus vero anteactæ vitæ curriculum, quod ipse nobiscum communicavit, heic habetis:

---

*) Det befriede Israel. Kiöbenhavn 1804.

**) Danice in actis literariis dioeceseos Selandicæ, et Theotisce: Sind in den Büchern der Könige Spuren des Pentateuchs und der mosaischen Gesetze zu finden? Altona 1822.

***) De Julio Firmico Materno dissertatio inauguralis. Hafniæ 1817.

VITA *CONRADI DANIELIS KOEFOED.*

Conradus Daniel Koefoed natus est Hafniæ anno superioris seculi LXIII^tio^, patre meritis ac industria gravissimo *Johanne Koefoed*, Regi qvondam a consiliis conferendis, militarisqve, qvæ Hafniæ est, pannorum officinæ Præfecto, eodemqve Collegii cursum publicum moderantis Præside vigilantissimo; matre autem *Christencia Koefoed*, nativo cognomine *Bendtsen*.

Horum parentum cura et pietate privatos intra parietes ad annum ætatis XIII^um^ educatus, præceptore usus est, sacrorum nunc in præfectura Viburgensi antistite summe venerando, *Vorsöe*, Præposito honorario, ætate jam cum laude provecto. Laterum vero infirmitate, ex morbo gravi ancipitiqve residua, laborans, svadentibus medicis, ad Fioniam missus est rusticatum, ibiqve in ædibus V. Ven. *Birchii*, S. Theol. Doctoris et sacrorum inter Hagerupenses curatoris, Asnesiam postea vocati, biennium degens, confirmavit qvidem valetudinem labefactatam, in studiis vero inceptis adeo nihil profecit, ut elementa jam retractare cogeretur sub auspiciis viri summe venerandi, *Heibergii*, sacris nomarchiæ Voldborg in Selandia Præpositi, cujus in domo IV annos commoratus institutione usus est *Ludovici Heiberg*, Professoris et Rectoris scholæ, qvæ Othiniæ viget, postea laudatissimi, neqve multos abhinc annos vita defuncti; cujus testimonio munitus alumnos inter almæ Universitatis Hafniensis, annum agens vigesimum, nomen professus est. Civitate donatus, disciplinis philosophicis mox illud navavit studium, ut laudabiles in examine progressus æqvis censoribus probaret. Uberrimis deinceps *Jansonii*, *Hornemanni*, *Moldenhaveri*, doctissimorum virorum scholis formatus ac institutus examen theologicum anno MDCCLXXXVI vergente non sine laude sustinuit. Cursum academicum sic in patria emensus, amico doctissimo atqve æstumatissimo comitante, *Benedicto Bendtsenio*, Professore atqve Rectore scholæ Fridericoburgensis hodieqve clarissimo, Göttingam se contulit, virisqve hoc tempore *Georgiam Augustam* decorantibus, *Planckio*, *Schleussnero*, *Tychsenio* (qvorum illum res ecclesiasticas enarrantem, hos sacra interpretantes monumenta audivit), *Federo* porro et *Lessio*, Ethicam, Archæologiam *Heynio* tradenti, aliisqve præterea aliarum disciplinarum in hac clarissima litterarum sede Professoribus operam dedit, nunqvam, dum vivet, poenitendam. Qvibus quum studiis vacaret, Augustissimi Regis clementia anno MDCCLXXXVIII

domum revocatus est, ut munus concionatoris sacri in castris susciperet exercitus nostri, iter tunc in Holsatiam parantis, cui est officio initiatus a V. S. V. *Balle*, dioeceseos Selandiæ Episcopo. Qvoniam vero res ita ferebant, ut tali non opus esset belli consilio, castris cum classe commutatis, eodem hic munere functurus cum navibus bellicis Marte atqve Sirene (Havfruen), qvarum illi *Herbst*, huic *Steen Bille* erat præfectus, per menses æstivos hujus atqve seqventis anni nonnullis interfuit excursibus. Neqve ita multo post, et mense qvidem Januario anni MDCCXCI Regi placuit clementissimo, ut cura ecclesiarum Brörup et Lindknud in diocesi Ripensi ejus fidei concrederetur. Hinc post qvinqvennium ad parochiam Vissenbergensem in Fionia administrandam ex voto translatus, pauperum hujus regionis curam, pro summa incolarum freqventia difficilem inprimis atqve molestam, haud in postremis duxit muneris sui partibus; rationeqve tum situs tum ambitus parochiæ Vissenbergensis habita, in ipsum cooptatus est collegium, cujus summa erat per totam præfecturam pauperum alendorum cura atqve tutela. Res porro scholasticas hujus loci qvadringentos circiter pueros numerantis per novem, qvos in hoc munere annos consumsit, rectius constituere atqve ordinare conatus est, et consilio qvidem modoqve a se proposito, regisqve beatæ memoriæ *Christiani septimi* auctoritate sancito. Ex qvo factum est, ut nova accederet ad pristinas hujus parochiæ scholas. Ludimagistris antea constitutis ducem se præbuit, semel per septimanam in scholis singulis docentis partes obeundo; eumqve cepit hujus non levissimi laboris exoptatissimum fructum, ut et diligentius instituerentur pueri, suaqve ipse supremis earum rerum moderatoribus conamina probaret. Has inter curas gravissimis officiis dicatas dissertationem scripsit *de indole institutionis Jesu Christo peculiari*, scriptamqve Theologorum in universitate Kiloniensi judicio submisit, qvi dignam censuerunt, quæ summos in theologia honores auctori vindicaret, diplomate a. d. VIII Cal. Decb. anno MDCCC in ipsum collatos. Qvinqvennio interjecto, novis auctus est Regis clementissimi beneficiis, præpositus creatus dioeceseos Ripensis sacrorumqve ad templum cathedrale minister primarius. Ubi, qvum juventutis institutioni minus commode esset consultum, munus auspicaturus duas svasit scholas elementares, binis doctoribus instruendas, adjuncta vero classe, qva discendi cupidis copia non deesset ulterius progrediendi. Qvod consilium, Augustissimo Rege adnuente, statim exseqvi conatus est.

Deinceps ad ærarium viduis hujus dioeceseos ex ordine ecclesiastico sublevandis (cujus auctoritate muneris sui administrator erat) studium et operam contulit, id spectans, ut stipendium annuum septenis tum imperialibus finitum, pro viduarum necessitatibus incrementum caperet nostris temporibus accommodatum. Quod qva via et ratione effici posse videretur, quum planum fecisset computationibus, a viris peritissimis, qvorum esset de institutis ejusmodi judicium, publice comprobatis, novam ærarii constituendi formulam ratam esse jusserunt litteræ regiæ 1 Cal. Jun. anno MDCCCX clementissime datæ. Instauratum hoc modo ærarium annuum jam viduis solvit stipendium triginta imperialium, sortemqve, præposito administrante, collegit 18000 imperialium argenteorum præter illam, qvam antea possederat, pecuniam: ut qvantum conjectura qvidem prospicere licet, omni jam sit discrimine liberatum, largiusqve in posterum viduis auxilium promittat. Oeconomiam hujus societatis ex rationibus in anniversario cleri conventu redditis atqve examinatis, quum typis evulgatæ sint, omnibus, qvorum interest, plenius cognoscere licebit. Præpositi adhuc munere fungens ab anno MDCCCIX ad XI usqve V. S. V. *Stephanum Middelboe*, venia Cancellariæ Regiæ impetrata, officiorum episcopalium parte seni jam nimia, levavit, Candidatis sacrosancti ministerii inaugurandis, ecclesiisqve visitandis dioeceseos, ut coram de statu singularum cognosceret examinando. Et intra biennium totam jam obierat præfecturam Ringcopiensem atqve Vedelensem, id simul agens, ut viris, qvos inter pastores ecclesiarum idoneos reperisset, ad veteres scholarum magistros uberius instituendos persvaderet. Qvod soleter nec sine fructu ab iis factum esse plus C ludimagistri, hac institutione formati, speciminibus deinceps in examine editis, luculenter testati sunt.

Anno MDCCCXII majorem nactus est industriæ campum atqve opportunitatem, qvum præfecturæ Ripensis bipartitæ alteri, sive septentrionali parti, LIX parochias continenti, jussu regio, præficeretur. Auctisqve ne officiis deesset, locorum situm ac conditionem crebris itineribus perspexit, qvorum notitia instructus, rationem proposuit rem scholasticam præfecturæ suæ commodius rectiusqve pro regionis cujusqve habitu ordinandi atqve constituendi.

Has inter publicas curas domestico afflictus est graviter dolore, morbo conjugis acerbissimo, qvæ per totum pæne annum misere cruciata diem tan-

dem obiit supremum, mense Majo anni MDCCCXV, filiis duobus cum filia relictis. Qvid mirum, si vitæ sociam lugebat per XXII annos fidelem atqve svavissimam, summis et animi et formæ venustatibus dotatam, piam ac diligentissimam liberorum matrem! Filia erat generosa generosi viri *Andreæ Frausing Fridsch*, Regi a Consiliis Justitiæ, Medicinæ Doctoris, humanissimi, peritissimi, qvem grata adhuc memoria colunt mortuum, qvi vivum cognoverint. Tantum ut damnum expleret, si fas esset, maritus orbatus, matremqve redderet familiæ desolatæ, anno MDCCCXVI alterum iniit matrimonium cum uxore dilectissima, *Catharina Maria Meinert*, lectissima femina, qvam viduam reliqverat *Nicolaus Tang*, fisci Consiliarius, prædiiqve Nörre-Vosborg dominus qvondam ac possessor honoratissimus. Hoc conjugio, qvo gaudet adhuc, qvinqve auctus est privignis utriusqve sexus, qvorum maximum natu indulgentia Regis clementissimi adjunctum sibi habuit ad Ædem Cathedralem Vicarium; duos ipse puerulos, parentum delicias, ex hoc conjugio suscepit.

Anno MDCCCXVIII, VII Idibus Maji a Rege Augustissimo *Friderico* VI[to] denominatus est una cum viro illustrissimo, *Rosenörn*, Regi a cubiculis, Ringcopiensis tum præfecturæ Gubernatore, qvi dioeceseos Ripensis nomine comitia obiret ad viros eligendos, qvibus cura tabulæ seu ærarii publici (nationalis, qvod dicitur) a parte populi universi demandaretur; qvibus comitiis, mandato Regio obtemperans, mense Junio seqventi interfuit.

Proximis his annis ad mutuam puerorum institutionem in ludis elementaribus usurpandum animum studiumqve adfecit, eoqve rem istam utilissimam perduxit, ut in septuaginta circiter scholis, qvibus is præest, introducta jam vigeat ratio Lancasteriana.

Anno deniqve elapso insigni Regi Augustissimi gratia atqve benevolentia Episcopus, qva antea dignitate honoraria fuerat insignitus, denominatus re vera est dioeceseos Ripensis, in locum viri, dum vixit, summe venerandi *J. M. Hertzii* suffectus. Cujus provinciæ amplissimæ gravissimæqve ne oneri succumbat, verum ad genuinæ pietatis incrementum partes sibi injunctas constanter, ut decet, sustineat, vires a numine benignissimo, voluntatis sibi conscius, ex intimo animi sensu inaugurandus precatur.

Episcopus igitur ordinabitur ex mandato Regio in æde S. S. Trinitatis festo secundo Paschatis die 27 Martii. Cui sacro ritui vobiscum, Venerabiles Fratres, Præpositi et Pastores urbici primarii, precibus manuumque impositione peragendo, Vos omnes interfuturos esse speramus; simulque utriusque Reipublicæ proceres, ut hanc panegyrin sua frequentia condecorent, novoque Episcopo bene precentur, ea, qua par est observantia, invitamus.

Dat. Hafniæ in ædibus Episcopalibus Kal. Martiis MDCCCXXVI.

SVB OFFICII NOSTRI SIGILLO.

345607
Münter
Symbolae ad
Interp. Evang. Johannis

TBS
3619
9
.M41

Münter
Sybolae ad In
Evang. Johan
34

Episcopus igitur ordinabitur ex mandato Regio in æde S. S. Trinitatis festo secundo Paschatis die 27 Martii. Cui sacro ritui vobiscum, Venerabiles Fratres, Præpositi et Pastores urbici primarii, precibus manuumque impositione peragendo, Vos omnes interfuturos esse speramus; simulque utriusque Reipublicæ proceres, ut hanc panegyrin sua frequentia condecorent, novoque Episcopo bene precentur, ea, qua par est observantia, invitamus.

Dat. Hafniæ in ædibus Episcopalibus Kal. Martiis MDCCCXXVI.

SVB OFFICII NOSTRI SIGILLO.

345607
Münter
Symbolae ad
Interp. Evang. Johannis

BS
3619
9
.Mü1

Münter
Sybolae ad Int
Evang. Johann
34